

SCRIPTA

Numéro Scripta : 135

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 441

Auteur(s) : Richard, fils de Guillaume, Gacé (doyen)

Bénéficiaire(s) : Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1093, 8 avril

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

« Rotulus primus monasterii Sancti Ebrulfi », acte 1 : recevant l'habit monastique à Saint-Evroult, Richard fils de Guillaume, doyen de Gacé, donne l'église Notre-Dame de Touquettes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Prévost Auguste, *Orderici Vitalis angligenae, coenobii uticensis monachi, historiae ecclesiasticae libri tredecim*, Paris, J. Renouard et Socios (Société de l'histoire de France), 1838-1855, 5 vol., t. 5, Appendix, n° VI, Rotulus n° 1, p. 182-184.

Texte établi d'après a

I. Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo tercio, feria sexta ante dominico ramis palmarum, tempore Rodberti comitis, Willelmi regis Anglorum filii, Ricardus filius Willelmi decani de Guaceio, per infirmitatem quandam quam habuit, requisivit ab abbate Rogerio, qui post abbatem Serlonem rexit æcclesiam sancti Ebrulfi, et a ceteris monachis ejusdem coenobii ut monachicum habitum illi darent. Qui abbas, per consilium congregationis, petitionem ejus adimplevit. Dedit autem ipse Ricardus sancto Ebrulfo æcclesiam totam de Tolcheta quæ est in honore sanctæ Mariæ, sicut eam pater suus tenuerat unquam melius. Sed quidam presbiter, Serlo nomine, qui eandem æcclesiam serviebat, in feudo habebat medietatem altaris et terciam partem decimæ et tertiam partem sepulturæ quandiu ipse viveret, et duo filii ejus post mortem patris eodem pacto tenere debebant quandiu viverent. Post quorum obitum, id est patris et duorum filiorum, tota remanebit æcclesia predicta in dominio monachorum. Et hoc concessit Richerius frater ejus et omnes parentes illorum qui presentes esse potuerunt. Ipsa vero æcclesia non dat nec sinodum nec circatam, quia domnus Willelmus decanus pater eorum de episcopo Luxovii istam consuetudinem in feudo semper t[enuit], quam similiter filii post obitum patris tenebant, de qua consuetudine debet Richerius ipse defensor existere. Dedit etiam ipse Ricardus ad Resenti sedecim sextaria decimæ et quinque virgas terræ. Sed propter concessionem et defensionem predictæ æcclesiæ taliter Richerius frater ejusdem Ricardi tenet ista sedecim sextaria decimæ et quinque virgas terræ de abbate, ut, si absque herede de uxore obiret, in dominio sancti Ebrulfi, sicut prefata æcclesia, solida et quieta remaneret, et clericus ejusdem Resenti villæ ecclesie octo sextaria, id est medietatem de XVI sextariis, tenet de Richerio et quinque virgas supradictæ terræ. De hoc Richerius ipse concessionem fecit in capitulo coram multis testibus et super altare posuit. Isti sunt testes qui affuerunt : Guillelmus scilicet Calvin de Merulo, Guitmundus de la Genevereia, Hugo filius Fulcaldi, Herbertus Carlevent, Rodbertus filius Huberti conestabuli de Guaceio, Stephanus qui erat sub prefatis Herberto atque Rodberto istius villæ prepositus, Isembardus pincerna, Razso decanus et frater ejus Hugo, Radulfus filius Hugolini de Escalfou,

Radulfus filius Ernegisi de Tolcheta, Rodbertus de Warleinvilla, Restoldus faber, Gerbertus faber, Engenulfus de Sommera, Willelmus de Vernutiis, Warnerius del Val, Teodelinus presbiter des Alters, Alveredus frater Turstini de Solengi, Rodbertus filius Harduini, Raynerius Frucina. Et hoc etiam concessit idem Ricardus et Richerius frater ejus quod omnes episcopales forfacturas haberemus sicut pater eorum tenuerat in tota villa de Tolcheta.